



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XI. Solus Deus permanet, caro non sentit, nisi partem aliquam creaturarum, quibus omnibus melior est creator immutabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

C A P. XI.

Solus Deus permanet , caro non sentit , nisi partem aliquam creaturarum , quibus omnibus melior est creator immutabilis.

1. **N**Oli esse vana anima mea, & obsurdere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipsum clamat, ut redeas, & ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Nunquid ego aliquo discedo? ait verbum Dei. Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda, quicquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallaciis. *a* Veritati commenda, quicquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid; & reflorescent putrida tua, & sanabuntur omnes languores tui; *b* & fluxa tua reformabuntur, & renovabuntur, & constringentur ad te; & non te deponent, quo discedunt, sed stabunt tecum, & permanebunt ad semper stantem ac permanentem Deum.

2. Vt quid perversa sequeris carnem tuam? Ipsa te sequatur conversa. *c* Quicquid per illam sentis, in parte est, & ignoras totum, cujus hæ partes sunt, & delectat te tamen. Sed si ad totum comprehendendū, esset idoneus sensus carnis tuæ: *d* ac non & ipse in parte universi accepisset pro pœna tua justum modum: velles, ut transfret, quicquid existit in præsentī, ut magis tibi omnia placerent. Nam, & quod loquimur,
per

per eundem sensum carnis audis: & non vis utique stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, & totum audias. Ita semper sunt omnia, quibus unum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea, quibus constat. plus delectant omnia quam singula, si possint sentiri omnia. Sed longe his melior, qui fecit omnia, & ipse est Deus noster: & non discedit, quia nec succeditur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: ne in his, quæ tibi placent, tu displiceas.

NOTÆ.

- a *Veritati commenda*) Deo offer, quidquid boni ab illo habes vel desideras: ille cum sit veritas, ostendet tibi, an & quod solatium sit in creaturis.
- b *Et fluxa tua reformabuntur*) caro & sensus corporis, per amorem Dei dirigentur ad finem suum, & *constringentur ad te*, quia amor Dei non finit sensus & concupiscentias diffluere in creaturas; & *non te deponent*, non secum trahent, quo *descendant* sive (ut alii legunt) *descendant*, nempe in nihilum & corruptionem; *sed stabunt tecum* per subjectionem, & *permanebunt* in manipulis meritorum, quos perferes *ad semper stantem Deum*. Sicut enim peccatori ex oblectationibus sensuum *remanet pœna, fugiente gaudio*: ita iusto propter licitum, & ex virtutis regula moderatum rerum sensibilem usum, *reposita est corona justitiae fugiente labore*.
- c *Quicquid per illam sentis, in parte est*) oculus enim non percipit nisi colorem & lucem, auris non nisi sonum & voces, gustus non nisi saporem cibi & potus, olfactus non nisi odores, tactus non nisi mollia & dura, singuli sensus singulas particulas universi. Et quidem simul non percipiunt, nisi particulam suæ particulæ. Ita oculus dum lustrat palatium, non potest simul contemplari sidera, dum in iis occupatur, non fruitur pul-

pulchritudine ruris, camporum, hortorum, & quæcunque alia aspectum pascunt, avocant interim à lectione librorum. Aures dum attendunt melodiis, avocantur à jucundis sermonibus, dum his vacant, non mulcentur cantu avicularum, strepitu aquularum, susurro arborum. Dum potamus, simul cibum glutire non possumus, dum caro sapit, absunt pisces; dum hoc vel illud obsonium delectat, alio simul vesci non possumus Delectationes sensuum obstant delectationibus animi. Verum denique est, quidquid sentit Sensus, particula est aliqua, imo particula particulæ.

- d. *Accepisset pro pœna tua justum modum*) natura carnis & sensuum quidem est talis, ut non possit sentire, nisi objectum suum, & nec illud quidem totum simul. Sed natura post peccatum versa est in pœnam, sublata enim justitia originali, sensus immoderate rapiuntur in creaturas, & contra rationis dictamen; hinc lucta carnis & spiritus, in omnibus filiis Adam.

V S V S.

1. Priori cap. irrefragibili demonstratione vanitatem creaturarum ostendit S. D. ex earum fugaci instabilitate; nunc alteram demonstrationem addit, ex eo, quod non nisi particulam aliquam rerum sensibilem sensu apprehendamus, plus autem delectant omnia in quovis toto, quam singula.
2. Vnde sequitur meliores esse delectationes mentis quam carnis, intellectus enim totius universi creaturas cognoscit & æstimat, earumque bonitate delectatur. *Sed longe, & singulis, & omnibus creaturis melior, qui fecit omnia, & ipse est Deus noster, & non discedit in nihilum, quia non succeditur ei, neque enim est alius Deus præter ipsum.*

CAP.